

26 Iunii

Beati Andreae Hyacinthi Longhin, episcopi

In Patavino oppido vulgo Fiumicello da Campodarsego die 22 mensis Novembris anno 1863 primum vidit lumen. Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus est et quinque per lustra in conventu vitam gessit, studiis et perfectae observationi Regulae asperitatumque Ordinis deditus. Anno 1904 Episcopus Tarvisinus constitutus, per duos et tringinta annos rexit dioecesim. Catechismum omnibus viribus docere contendit; indefatigabili ardore Verbum Dei nuntiavit; clericorum, sacerdotum, religiosorum et laicorum sanctificationi consuluit. Paternus eius animus splenduit tempore quo primum bellum totius orbis grassabatur. Dolore afflictus, quem heroica patientia toleravit, e nobis discessit die 26 mensis iunii anno 1936.

De communi Pastorum - Pro Episcopis

Ad Officium lectionum

LECTIO ALTERA

Ex litteris beati Andreae Hyacinthi Longhin, episcopi

(Scritti inediti 93/V, p. 83 Arch. Post. Gen. OFM Cap., vol V, pag. 83).

Sanctitas omnibus praesto est

Omnes sequi tenemur chrisitanae et religiosae vitae sanctitatem. Nostra decepti inscientia et ignavia, sanctitatem censemus in nobis dari non posse, quoniam eam cogitamus in exstasi consistere, perdine ac si ad sanctitatem acquirendam necesse esset donum raptus vel visionum vel prophetiae vel miraculorum; cogitamus eam in cruce, perinde ac si opus esset magnis cruciari ieiuniis, austeram ferre vitam, flagella pati et cilicia etc. Res quidem insidiosa! Sanctitas est in simplicitate rerum, quae omnibus praesto sunt. Nemini enim praescribitur: "vosmet ipsos flagellate, ieiunia facite, in exstasim rapimini..." non!; nemo hoc nobis praescribit. Nobis tantum dicitur: Deum diligite ex toto corde, ex tota anima et ex omnibus viribus; diligite proximum vestrum, sicut vosmet ipsos. In hoc resumitur omnis vitae christianae perfectio et vera sanctitas. Quisnam hac in terra affirmare potest quod Dominum diligere nequit? Adimpleas oportet sanctam Dei voluntatem, quae manifesta redditur ex Decalogi, Ecclesiae nostrorumque legitimorum superiorum praescriptis.

Quisnam dicere potest non possum evitare peccata venialia deliberata, transgressionem contra caritatem, humilitatem et oboedientiam? Sanctus Thomas sorori eum quaerenti quomodo sancta effici posset, respondit: "Si vis!" Intellexisti, cara Maria? Si vis esse sancta, auxilium non tibi deerit, quoniam Dei gratia suffulti omnia possumus.

RESPONSORIUM

R. In médio Ecclesiae aperuit os eius: * Et implévit eum Dominus spiritu sapientiae et intelléctus.

V. Iucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum.

R. Et implévit eum Dominus spiritu sapientiae et intelléctus.

COLLECTA

Omnipotens aeternae Deus, qui beato Andreae Hyacintho, episcopo, nuntio christianae fidei et pastorali caritate Ecclesiam tuam aedificare tribuisti, concede nobis, eius intercessione, ut testimonium dilectionis tuae in fratrum servitio iugiter reddamus. Per Dominum.